UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Godefridvs Comes. 13. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70962

Visual Library

juſſit omnes pœnas in ſe experiri : aciē tormentorum inſtrueret tyrannus , ingenio etiam certaret , in auxilium alios etiam tyrãnos evocaret, omnes in ſubſidiis carnifices conſtitueret : ſeſe unicum contra omnia tormenta etiam nudum ſtaturum, ſolâ patientiâ pugnaturum , oſtenſurumque eâ dimicatione, quantum inermis Chriſtianus omnibus minis, & tormentis armato tyranno præſtaret. Deſperavit jam tum judex de victoriâ, & ſententiam tulit, quâ manibus ac pedibus mutilari ARCADIVS jubebatur. Hic fixis cælo oculis inter divinas laudes, ſupplicii locum magnanimus petiit, membra ad lanienam ipſe nudavit , ipſe ſingula truncanda exhibuit; itaq; ſanguinis ſui purpurâ ſplendidus, ſine pedibus ad martyrum tamē partes tranſivit , ſine manibus palmam tamen cepit. *S.Zeno Ep.Veron.*

S.GODEFRIDVS COMES, *13.Ianuarii.*

DVxit GODEFRIDVS Cappenbergenſis Comes genus ſuum è Regio ſanguine. Prædantium ſuorum militum licentiam, ſi quiſquam alius , frenavit, gnarus militum prædam Ducis eſſe furtum. Arcem ſuam in cœnobium vertit, & D, Norberti familiæ transſcripſit, cum omnibus fortunis, quibus præclarum auctarium unà cum fratre Ottone ipſe

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ipſe acceſſit. Viderunt hoc multò ante in ſomnis illi, qui de Cappenbergenſi arce vel columnam flammantem, vel civitatem nive nitidiorem in cælum viderunt aſſurgere. Et verò multa, quò moram tam ſanctis conſiliis injiceret, molitus eſt cognatus ſanguis, nunquam non DEO hæreditatẽ invidens; ſed ille, uti alia humana omnia, ita hæc etiam inſuper habuit, conjugeque inter ſanctimoniales relatâ, Norberti inſtitutum avidiſſimè arripuit. In hoc acerrimus ſui hoſtis, & glorioſiſſimus victor, vix quidquam cibi ſumere eſt viſus, tantùm lacrimis inebriari. Cæli cupidiſſimus miſſionem corporis accepit anno M. C. XXXVI. cùm moriturus illa audiſſet: *exite obviam ei*, & venientem è cælo comitatum amiciſſimè ſalvere juſſiſſet. Secundùm mortem nepti ſuæ multâ luce veſtitum, & coronâ conſpicuum ſe oſtendit, quæ illa legentibus loquebatur: *Induit me Dominus veſtimento ſalutis, & tanquam ſponſam decoravit me coronâ.* Pulchrè certè honorum cupidos alta conſcendere GODEFRIDVS docet. Comitem abjecit, ut Rex eſſet. *Ex Surio.*

S. FELIX NOLANVS. 14 *Ian.*

FELICI Nolano cum fratre germano ita cõvenit, ut ignobilior hereditatis portio, id eſt terra fratri, melior verò,